



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Gaudium ex Societatis prospero cursu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

legibus, præuertenda pericula, & incōmoda quæ  
 pacta illa secum afferre videntur. Potens est inte-  
 rim Deus facere supra quam credimus, & intelli-  
 gimus, præsertim sacrificiis, & precibus multorū  
 intercedentibus. Cū de progressionibus Socie-  
 tatis, rebusq; ab ea prospere ad Dei gloriam gestis  
 cognoscebat, miris gaudiis implebatur, & ad re-  
 damandum, ac laudandum accendebatur om-  
 nium bonorum fontem; sic vt multis deinceps  
 diebus residuo inde piæ dulcedinis gustu perfru-  
 eretur. Indixerat quondam Lainius Generalis pro  
 suæ administrationis, ac totius ordinis prospero  
 cursu singula sacerdotibus sacra, & alias sacerdo-  
 tij expertibus quadam portione preces. Modesta  
 nimis, ac restricta ea Canisio visa præscriptio: se-  
 ptena malebat sacra persolui, & alias preces ad eā  
 rationem multiplicari, vt septiformi spiritu Deus  
 augetet, confirmaretq; lectionem, functionemq;  
 Præpositi, curaturumq; se professus est in Prouin-  
 cia sua, vt vberior pensio esset. Seculi anno 94. cū  
 præter multorum opinionem Societatis conuē-  
 tus Generalis exitum Romæ mirè pacatum, & o-  
 ptatissimum habuisset, erupit in has gestientis a-  
 nimi voces. A Domino vtiq; factum est istud, Ro-

*Gaudium ex  
 Societatis pro-  
 spero cursu.*

ma etiam obstupescente, & non minus Pontifice Maximo, cui hoc quidem æuo debemus plurimum. Mirabilis ergo Deus in seruis suis, qui noua submisit præsidia confirmando corpori Societatis valde salutaria: nouamq; præbuit lucem & infirmis, & robustis, paruis & magnis conuenientem, atq; peropportunam. Pugnet igitur aduersus immanes Turcas Germania: tumultuetur cū suspecto Rege Gallia. (Nōdum enim Henricum Quartum Pontifex Catholicis restituerat) furant atque infrendeant insani Hæretici, vt se perfidos Ecclesiæ desertores esse demonstrent. Nos velut in portu nauigantes in salutari nostro Iesu respicemus, & ad cælestem, quæ non procul abest, patriam fidenter aspiremus. Quo maioribus diuinæ bonitatis muneribus cumulamur, eo lætius oculos attollentes ex animo decantemus illud, Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Quæ fratrum coniunctio supra petram fundata, & cum Maiorum autoritate copulata, nullis humanis viribus, sed neque diabolicis machinis potest labefactari, Christo vincēte semper in filiis obedientiæ, & Crucis amatoribus ab eo sanctificatis.

Hæc